
THE LIBRARY OF CONGRESS


THE LIBRARY OF CONGRESS

QUAESTIONUM SOPHOCLEARUM DECAS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM

MARBURGENSIUM ORDINI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

OBTULIT

RUDOLPHUS LOEHBACH

PROGYMNASII ANDERNACENSIS RECTOR.

NEOVIDII

TYPIS STRUEDERIANIS.

MDCCCLXV.

I.

Ajax, Vs. 167 sq.

ἀλλ᾽ ὅτε γὰρ δὴ τὸ σὸν ὄμμ᾽ ἀπέδραν,
παταγοῦσιν, ἅτε πτηνῶν ἀγέλαι
μέγαν αἰγυπιὸν ὑποδείσαντες
τάχ᾽ ἄν, ἐξαίφνης εἰ σὺ φανείης,
σιγῇ πτήξειαν ἄφωνοι.

In vs. 169. genuinam scripturam a librariis turbatam esse praeter sensum docet metri ratio.

Vulgo puncto post *ὑποδείσαντες* distinguitur. Quod auctore Dawesio (in Miscellaneis criticis p. 224) Brunckius in finem versus prioris transposuit et *δ᾽* post *αἰγυπιὸν* inseruit.

Reliqui interpretes eum secuti sunt fere omnes. Tollitur hac ratione sane doctrinae metricae offensio; tamen haec conjectura non omnibus partibus tam absoluta videtur, ut Brunckio assentiri queam, cum dicat, ita nec in sententia nec in verbis quidquam inesse, quod vel tironi remoram objicere possit. Hermannus locum Dawesii ratione restitutum sic interpretatur: „Te remoto perstrepunt, avium ritu; magnum vero vulturem metuentes, si tu appareas,

statim taciti latebras quaerant.“ Addit deinde haec: „Quasi de avibus dicturus, *μέγαν αἰγυπιὸν ὑποδείσαντες*, statim transfert metaphoram ad Ajacem et ad Graecos.“ In qua interpretatione aliquid duri inesse neminem fugiet, qui locum vel obiter perlegerit. Magnum illum vulturem Ajacem esse non satis liquet, quia comparatio altius repetita est audaciusque ad Ajacem transfertur, quam quae facile intelligi possit. Quamobrem hoc loco neque particula *ὡς*, licet alias frequentissime omittatur, carere possumus, neque vocula *σέ*. Quam desiderari jam Toupius sensit, qui (in Suid. T. III. p. 22) probante Porsono (Append. ad Suid. p. 465) *αἰγυπιόν σ'* legi vult, vetere observata distinctione. Idem pronomen inserit Erfurdtius, qui tamen in v. *ἀγέλαι* incidit, et *ὅτε γὰρ* — *ἀγέλαι* recte parenthesi comprehendit. Particulam *ὡς* non facile deesse, Hermannus videtur sensisse, cum dicat assentiente Wundero, magnam in ea re vim inesse, quod Ajax non comparetur cum magno vulture, sed ipse magnus vultur appelletur. Nempe eo ipso palam facit, se aliquantulum, atque mea quidem sententia haud immerito, in omissione particulae *ὡς* haesitasse.

Quibus omnibus bene perpensis suspicor sic esse scribendum:

ἀλλ' — ὅτε γὰρ δὴ τὸ σὸν ὄμμ' ἀπέδραν,
παταγοῦσιν ἅτε πτηνῶν ἀγέλαι —
μέγαν αἰγυπιόν σ' ὡς δείσαντες
τάχ' ἂν ἐξαίφνης, εἰ σὺ φανείης
σιγῇ πτήξειαν ἄφωνοι.

Illa *ὅτε γὰρ* — *ἀγέλαι* Erfurdtii exemplo parenthesi comprehendo, ita ut *ἀλλὰ* cum *μέγαν αἰγυπιὸν κτλ.* sit jungendum sententiaque tali fere ratione procedat: „Sed — te enim remoto avium ritu perstrepunt — metuentes te

sicut magnum vulturem, si tu appareas, statim obmutescentes latebras quaerant."

Ita omnia optime se habere imprimisque Graecorum poetarum usui accomodata esse non est quod copiosius exponam *).

---

*) Audacius Schneidewinus auctore Dobreeio et probante Nauckio participium ὑποδείσαντες glossam sapere ac propterea delendum esse censet. Contendit enim, aves cum vulturem aspiciant, minime obmutescere, sed contra anxie conclamare, atque cum vultur avolaverit, laete strepere (παταγεῖν). At aves licet appropinquante vulture anxios edant sonos, tamen cum propius adest, prorsus obmutescunt (Cf. Lobeckium ad h. l.).

II.

Ajax, Vs. 404 sq.

Ποῖ μολὼν μενῶ;
εἰ τὰ μὲν φθίνει, φίλοι,
τοῖςδ' ὁμοῦ πέλας,
μώραις δ' ἄγραις προςκείμεθα,
πᾶς δὲ στρατὸς δίπαλτος ἄν με
χειρὶ φονεύοι.

Non defuere qui ex his versibus quamvis metro repugnantibus sensum qualemcunque extorquere conarentur *). Sed de variis ejusmodi conatibus non habeo quod dicam, cum omnes et verbis et metro vim inferant. Recte enim Wunderus ait, haec ita corrupta esse, ut, quid fere dictum a poeta fuerit, vix conjectura divinari possit.

Id tamen constat, verba *τὰ μὲν φθίνει* ad irritam vin dictam referenda esse. Armis enim ab Atridis Ulyssi adjudicatis Ajaci nihil magis cordi erat, quam quomodo in-

*) Weismannus (Progr. Fuld. 1852) sic interpretatur: „Wenn dies (mein Racheplan) zu Grunde geht durch das, was da bei mir in meiner Nähe ist (die Opfer des Wahnsinns), und ich mit der Schmach eines wahnwitzigen Fanges behaftet bin.“ Quae tam obscure dicta videntur, ut pudore, quo Ajax propter insanam ovium caedem affectus est, vix excusari possint.

juriam ab Atridis sibi illatam ulcisceretur. Eum nunc quoque vehementissimo ulciscendi desiderio agi ostendunt vss. 389—391, quibus ait, se vel morte hanc vindictam redimere velle. Unde patet, verba illa *τὰ μὲν* ita nude posita ad nihil aliud apte referri.

Minime igitur placet Scholiastae sententia, qui scribit: *ἤγουν ἡ ἐμὴ εὐτυχία φθείρεται.*

Eandem ob causam improbandae videntur conjecturae inter se simillimae: Lobeckii *τίσις δ' ὁμοῦ πέλας*, Dindorfii *τίσις δ' ὁμοῦ πέλει*, Schneidewini (in ed. 2.) *τίσις δ' ὁμοῦ μ' ἑλᾷ*. Schneidewinus ita vertit: „Wohin soll ich mich wenden, wenn alle denkbare Rettung dahin ist, Rache aber mir auf der Ferse folgen wird und ich wahnwitzigem Fang obliege, das ganze Heer aber mich wird tödten wollen?“ In quibus primum quidem *τὰ μὲν* perperam vertitur „alle denkbare Rettung,“ deinde vero, ne quid de audacia mutationis dicam, illa „Rache aber mir auf der Ferse folgen wird“ et illa „das ganze Heer aber mich wird tödten wollen,“ licet procul dubio eandem fere vim habeant, interpositis illis „und ich wahnwitzigem Fang obliege“ mira ratione separantur.

Non magis probare possum conjecturam Thierschii, qui sic scribit:

τοῖςδ' ὁμοῦ γέλως
μώραις γ' ἄγραις προκείμεθα.

Male enim *τὰ μὲν* intelligi vult de honore Ajaci armorum judicio erepto. Neque satis liquet, quid sibi velit particula *γε*.

Ahrensius, qui (Philol. Goett. VI, 7. cf. ibid. IV, 462) proposuit *τοῖς δόμου πέλας*, intelligit *τὰ μὲν* de armis Achillis, quae, nisi iniquo Atridarum judicio Ulyssi adjudicatae essent, Ajax *τοῖς δόμου πέλας* = *τοῖς ἐγγύτατα*

γένους apportasset. *Τοὺς δόμου πέλας* Jovem et Telamonem censet esse. At ita si poeta sensisset, profecto accuratius sententiam suam declarasset.

Idem valet de Nauckii emendatione:

εἰ φθίνει, φίλοι, δόμου κλέος·
μώραις δ᾽ ἄγραις προςκείμεθα·
πᾶς δὲ στρατὸς κτλ.

Quam nec elegantia nec gravitate magnopere commendari senties. Durius enim sententiam in tres partes quasi dissecat.

Speciosa Hermanni (ed. 4.) conjectura
εἰ τὰ . . . . . μὲν φθίνει, φίλοι,
τοῖςδ᾽, οἳ ὁμοῦ μωραῖς ἄγραις προκείμενα κτλ.
propterea uti non possumus, quia in priore versu lacunam reliquit. Dicit enim vir sagacissimus, *πέλας* ab interprete ad *ὁμοῦ* adscriptum esse, quo in textum recepto excidisse trisyllabum vocabulum vel ante *μέν*, ut *μέγιστα*, vel ante *φθίνει*.

Wolffius denique, vir alioquin sobrii judicii, sic locum nostrum restitui putat:

ποῖ μολὼν μενῶ,
εἰ τὰ μὲν φθίνει, φθίνει, φίλοι,
τοῖς δ᾽ ὁμοῦ πέλας
μώραις ἄγραις προςκείμεθα;
πᾶς δὲ στρατὸς δίπαλτος ἄν με χειρὶ φονεύοι.

Interpretatur *τὰ μὲν* „die Ehre," atque *τοῖς δὲ*, quod vertit „der Schande" pendere vult a v. *πέλας*. Cujus rationem propterea potissimum improbo, quod, si ita scribimus, postrema illa *πᾶς δὲ στρατὸς κτέ.*, quae sine dubio cum universa sententia arctissime cohaerent, interrogationis

signo interposito ab ea omnino separantur. Deinde vero conjunctio *ὁμοῦ πέλας* ferri nequit. Nihil enim ad hunc usum illustrandum faciunt neque illa, quae leguntur Philoct. 1223. *σὺν σπουδῇ ταχύς*, neque locus Euripidis Hel. 530. *ἐν φάει — — ζῶντα φέγγος εἰςορᾶν*. Quae si quis paullo attentius examinaverit, ab hujus loci ratione aliena esse intelliget. Nam priora *σὺν σπουδῇ ταχὺς* omnino non idem significant, cum *σπουδῇ* de ardore, *ταχὺς* vero de celeritate dicatur; ab Euripide autem l. l. duae rationes, qua homines luce fruuntur, scilicet quod in ea vivunt et eam aspiciunt, aptissima oppositione junguntur.

Cum igitur alia loco nostro medela afferenda sit, equidem, omnibus recte ponderatis, quae et sententia postulat et metra indicant*), haud scio an haec poeta scripserit:

ποῖ τις οὖν φύγῃ;
ποῖ μολὼν μενῶ,
εἰ τὰ μὲν φθίνει, φθίνει, φίλοι,
ταῖςδ' ἐμοὶ πέλας
μώραις ἄγραις προςκειμένῳ,
πᾶς δὲ στρατὸς δίπαλτος ἄν με
χειρὶ φονεύοι;

„Quo quis ergo fugiat? Ubi manebo, si et vindicta (*τὰ μὲν*) perit, perit mihi his, quae prope adsunt, insanis capturis incumbenti, et omnis me exercitus armis poterit occidere."

Post v. *μενῶ* cum plerisque recentioribus interpretibus

---

*) In antistropha vulgatam sequor scripturam, nisi quod vs. 424. pro *Τροία* duce Hermanno (qui tamen in quarta editione *Τροία* scripsit) lego *Τρωία* Deinde vs. 422 pro *ἐξερέω μέγα* scribo *ἐξερέω μέγ'*.

commate distinxi, interrogationis signo, uti par est, in fine totius periodi i. e. post v. *φονεύοι* collocato. V. *φθίνει* bis posui auctore Ahrensio (l. s. l.). Quod eo facilius fieri potest, cum talis geminatio et in hoc ipso cantico ter occurrat (vs. 396. *ἕλεσθ'*, *ἕλεσθε.* — Vs. 414. *πολύν, πολύν με.* — Vs. 416. *οὐκ ἔτι μ'*, *οὐκ ἔτ'.*), et El. vs. 1414 ipsum verbum *φθίνει* simillima ratione iteretur. Quo loco Chorus deplorans miserrimam Clytemnaestrae necem a filio illatam haec dicit:

ὦ πόλις, ὦ γενεὰ τάλαινα · νῦν σε
μοῖρα καθημερία φθίνει, φθίνει.

Ibi etiam in nonnullis libris alterum *φθίνει* deest; idem nostro quoque loco casu quodam excidere potuisse non est quod copiosius persequar. Caeterum geminatione optime exprimitur, Ajacem omnem spem perdidisse.

Pro *τοῖςδ'* una litera mutata scribo *ταῖςδ'* ad *μώραις ἄγραις* pertinens. Duabus aliis lenissimis mutationibus, quas proponere ausus sum, scilicet quod pro *ΟΜΟΥ* lego *ΕΜΟΙ* et *προςκειμένῳ* pro *προςκείμεθα*, primum id efficitur, ut intolerabile istud *ὁμοῦ πέλας* tollatur; deinde impeditur, quominus Ajax duobus continuis versiculis de se loquens altero plurali (*προςκείμεθα*), altero singulari forma (*με*) utatur; denique autem illis *ταῖς δ' ἐμοὶ πέλας — προςκειμένῳ* causa affertur, ob quam Ajax omnem vindictae spem perdidit.

III.

Ajax, Vss. 554—556.

ἐν τῷ φρονεῖν γὰρ μηδὲν ἥδιστος βίος·
τὸ μὴ φρονεῖν γὰρ καρτ᾽ ἀνώδυνον κακόν,
ἕως τὸ χαίρειν καὶ τὸ λυπεῖσθαι μάθῃς.

Ajax postquam ad sanam mentem rediit, sortem suam infelicissimam conquestus, coram arcessito puero infanti puerilem aetatem praedicat jucundissimam et dulcissimam, quod, quamdiu animus a malorum cogitatione alienus sit, tam diu mala et dolores quasi absint.

Versum 555. exhibent libri manuscripti omnes et scholia antiquissima, bis eum citat Suidas (in vv. κάρτα et ζηλοῦν), semel Eustathius de Ism. et Ismenia. p. 52. Praeterea eum commemorat Tzetzes Chiliad. VI, 69. Solus Stobaeus, qui Serm. LXXVIII, 9 vss. 550—555 laudat, eum omisit.

Nihilo secius omnes fere interpretes inde a Valckenario hunc versum ut subditicium, sive ex alia quadam fabula insertum, quae erat sententia Valckenarii ad Hippolyt. 247 et Porsoni ad Med. 140, sive undecunque ab interprete quodam illatum, tum ejecerunt, tum uncis incluserunt. Hermannus et Wunderus eum prius servaverunt, postea vero ab hoc loco alienum judicarunt. Wolffius, quamquam versum in textu servat, tamen id dubitanter videtur fecisse.

Qui tot tantorumque virorum consensus licet magnopere me angat et incertum reddat, tamen facere non possum, quin argumentis ab Hermanno in editionibus superioribus allatis confidam versumque nostrum hoc loco servandum esse existimem.

Nam profecto testes, qui versum istum exhibent, plures sunt, quam quibus nisi rationibus omnino idoneis munitus facile quisquam repugnet. A Stobaeo autem facillime negligi poterat versus, tum propter similitudinem, quae interest inter initia vss. 554. et 555., tum quia vs. 555. omisso nexus non prorsus destruitur.

Quamvis autem versus noster non omnino necessarius sit, tamen in universum locum tam bene quadrat, ut revera ad ejus sententiam illustrandam videatur aliquid afferre. Cum enim poeta dicat, ignorantes agere vitam dulcissimam, facile quisquam mirari possit, ignorantiam laudari, cum tamen sit malum*). Quapropter additur, ignorantiam, quamvis malum sit, innoxium certe esse malum**). Tantum igitur abest, ut duobus istis versiculis idem dicatur, utque cum Bothio alterutrum superfluum judicare debeamus, ut potius priori secundus aptum adjiciat interpretamentum.

Repetitionem verborum in his *ἐν τῷ φρονεῖν μηδὲν* et *τὸ μὴ φρονεῖν*, neminem offendere posse, qui meminerit frequentissimas esse hujusmodi repetitiones, Hermannus recte observavit. Repetitio vero particulae *γὰρ* nihil habet, quod impediat, quia altero *γὰρ* additur non mera epanorthosis,

---

*) *ἐπεὶ γελοιότατον δόγμα, ὡς τιμῶντος τὴν ἀφροσύνην* (Suid.).

**) Ita si locum intelligis, non video, quomodo Lobeckius et Nauckius contendere possint, v. *κακὸν* hoc loco perperam adhiberi.

ut Lobeckius putat, sed sententia ad confirmandam priorem satis idonea.

Denique concinnitas orationis quodammodo videtur flagitare, ut versus servetur. Ut enim *ἥδιστος βίος* respondet sequenti *χαίρειν*, ita *ἀνώδυνον κακὸν* videtur respondere sequenti *λυπεῖσθαι.*

Caeterum licet quis putet, nostrum versum salva sententia deesse posse, eum propterea tanquam spurium damnare non debet, nisi prius eum a loco nostro omnino abhorrere demonstraverit. Nam ea delere, quae deesse possunt, hariolari est, minime vero emendare.

IV.

Ajax, Vss. 570—571.

ὥς σφιν γένηται γηροβοσκὸς εἰσαεί,
μέχρις οὗ μυχοὺς κίχωσι τοῦ κάτω θεοῦ.

Continuato sermone Ajax chorum et Tecmessam rogat, ut Teucrum, tum hostibus venandis occupatum (cf. vs. 564.), jubeant Eurysacem filium in domum paternam ducere, ubi parentium Telamonis et Eriboeae senectuti adjutor fiat,

μέχρις οὗ μυχοὺς κίχωσι τοῦ κάτω θεοῦ.

Inest in hoc versu difficultas, sive cum libris *μέχρις οὗ* legis, sive cum Suida (s. v. *γηροτροφῶ* et *μυχὸς*) mavis legere *μέχρις ἄν.* „Nam," ut Hermanni utar verbis, „in utraque lectione non solum anapaestus ex duabus vocibus constans, qui alienus est ab antiquiore tragoedia, offensionem habet *), sed ne *μέχρις* quidem tutum a suspicione vitii est, cum id non alibi apud tragicos reperiatur." Quae tamen difficultas tollitur felicissima atque certissima Her-

---

*) „Anapaestum Sophocles etiam in prima sede trimetrorum tanta diligentia vitavit, ut in octo vel novem millibus senariorum non plus quam triginta duo ejus exempla reperiantur, unum in Electra, duo in Oedipo Coloneo, tria (praeter hunc nostrum) in Ajace, quinque in Oedipo rege, totidem in Trachiniis, sedecim in Philocteta, in Antigona nullum." Ita Meinekius in Anall. Sophocl. p. 286.

manni conjectura ἔστ᾽ ἄν. Merito hanc praeclaram emendationem in textum receperunt Lobeckius, Erfurdtius, Schneidewinus, Wolffius. Facillime enim μέχρις ἂν pro ἔστ᾽ ἂν in textum irrepere potuit, cum grammatici haec per illa explicare solerent. Perperam contra Elmslejus, adstipulantibus Dindorfio, Wundero, Meinekio (Anall. Sophocl. l. c.), totum versum, bis a Suida citatum, pro spurio damnavit, verba γηροβοσκὸς εἰςαεὶ in causa fuisse ratus, cur aliquis hoc accuratius definiret, scilicet ne εἰς ἀεὶ acciperetur pro „in saecula saeculorum.“ Non vidit vir doctus, Ajacem moribundum facillime de futuro parentum obitu cogitare potuisse, ideoque istud additamentum, licet alio rerum statu facile cuiquam vanum, inane, paene ridiculum videri possit, huic nostro loco optime convenire.

V.

Ajax, Vs. 966 sq.

ἐμοὶ πικρὸς τέθνηκεν ἢ κείνοις γλυκύς,
αὑτῷ δὲ τερπνός κτἑ.

Tecmessae orationem, in qua haec verba leguntur, nonnulli viri docti nuper tanto et transponendi et delendi furore persecuti sunt, ut, si omnibus morem gereres, vix quidquam restaret. Equidem libenter relinquo criticis istis tam effrenatam in transmutandis poetae verbis audaciam. Wolffio assentiri malo, qui, si quae in universo nexu hujus pulcherrimae orationis delicatiores animos offendant, ea excusari vult vehementissima, qua Tecmessa perturbatur, animi commotione. Sed haec hactenus.

Ad vs. 966. adnotat Scholiasta: *μᾶλλον ἐμοὶ πικρὸς τέθνηκεν, ἤπερ ἐκείνοις γλυκύς.* Quem secutus Brunckius ita vertit: „Mihi acerbus periit magis quam illis jucundus, ipsi vero sibi lubens."

Putant igitur et Scholiasta et Brunckius *μᾶλλον* adverbium esse subaudiendum. Ejusmodi usum a Graecae linguae indole non prorsus abhorrere non pauca docent exempla:

Hom. Il. A, 117.

βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι, ἢ ἀπολέσθαι.

Eurip. Andr. 351.

πόσας δ' ἂν εὐνὰς θυγατέρ' ἠδικημένην
βούλοι' ἂν εὑρεῖν, ἢ παθεῖν ἅ 'γὼ λέγω.

Cf. Hom. Il. *Α*, 318. *Ψ*, 594. Odyss. *Μ*, 350. Matth. Gr. gr. §. 455, not. 8 et §. 457, not. 1.

Optimae tamen aetatis scriptores hanc licentiam sibi non concessere nisi post ea verba, in quibus inest quasi notio comparativa, velut *βούλομαι*, *νικάω*, similia. Cfr. Bernh. Synt. gr. p. 437. not. 86. Nitzsch. ad Plat. Jon. p. 69. Merito igitur novissimi interpretes uno ore consentiunt Scholiastae interpretationem rejiciendam esse. Tamen sententiae eorum de versu nostro valde discrepant. Non defuere enim qui alium sensum e vulgari lectione eruere vellent, fuerunt etiam, qui versum pro corrupto haberent eumque conjectando restituere conarentur*).

Alteri ἢ non comparativum sed disjunctivum esse rati, momentum sententiae versari in copula *δὲ* contendunt, locumque nostrum alii alia ratione vertunt. E quibus

Nitzschius (l. l.) probante Lobeckio sic interpretatur: „Mihi acerba sive illis dulcis ejus mors acciderit, ipsi vero felix fuit."

Apitzius: „Sive mihi acerbus sive illis dulcis, sibi jucundus periit."

Scholefieldius (ad Dobr. adv. 2, 44): „Utcunque vel mihi acerba vel optabilis istis, certe ipsi jucunda mors fuit."

At ne iis assentiamur primum vetat particula *δέ*, cui viri isti docti vim particulae *γε* falso inculcant**). Deinde

*) Mitto eos, qui audacius versum tanquam spurium delendum esse judicant.

**) Perperam Hoffmannus (Diar. Gymnas. Austr. 1854, p. 541) ut hanc pravam interpretationem adjuvaret, *αὑτῷ γε* conjecit.

vero inter duo illa ἐμοὶ πικρὸς et κείνοις γλυκὺς non talis interest oppositio, ut se vicissim excludant. Ajacis enim mors simul et Tecmessae acerba et inimicis dulcis esse potest. Particula ἢ autem duae res, quae simul esse possunt, disjungi nequeunt.

Neque magis placet interpretatio Thierschii, qui (Muench. Gel. Anz. 1851, p. 758) ita vertit: „Mihi tam amarus quam illis jucundus periit.“ Nam talis inauditus particulae ἢ usus vereor ut exemplis comprobari possit.

Cum igitur locus talis, qualis traditur, apte explicari non possit, haud pauci viri docti eum corruptela laborare censuere variisque modis sanare conati sunt. E quibus Elmslejus scripsit εἰ κείνοις, jam ab Hermanno et Lobeckio jure repudiatum. Neuius, verba servans, sed interrogationis signo post v γλυκὺς distinguens, infelicissime proposuit:

ἐμοὶ πικρὸς τέθνηκεν ἢ κείνοις γλυκύς;
αὑτῷ δὲ τερπνός.

Schneidewini (Philol. IV, 472) conjectura ᾗ κείνοις i. e. „eadem ratione qua,“ licet loco Eustathii (ad Od. H, 205) quodammodo defensa, Hoffmanno (l. l.) merito languidi aliquid prae se ferre videtur. Idem valet de Martini ᾗ κεῖνος, Hartungii ὡς κείνοις, Meinekii (Anall. Sophocl. p. 284) κἀκείνοις. De quibus singillatim copiosius disputare supersedeo, quia omnes poetae sententiam non bene intellexisse mihi quidem videntur. Nam propter totius orationis consilium Tecmessa dicere nequit, mortem Ajacis inimicis dulcem esse.

Immo id demonstrare studet, laetitiam illorum de Ajacis obitu vanam, inanem, stultam esse. Choro Ulyssem Atridasque summopere gaudere suspicanti haecce respondet: „Rideant illi et gaudeant hujus viri malis. Fortasse etsi vivum minus desiderarunt, mortuum lugebunt in belli dis-

crimine. Nam stulti bonum tenentes manibus, non ante id animadvertunt, quam amiserint." Pergit deinde vs. 969: „Quid, quaeso, habent hi, quod illum irrideant?" et vs. 971: „Proinde Ulysses inanes jaciat contumelias." Si his interjicitur, Ajacis obitum Ulyssi Atridisque dulcem esse, mira profecto oritur in Tecmessae verbis contradictio. Quae cum ita sint, equidem puto Sophoclem sic scripsisse:

ἐμοὶ πικρὸς τέθνηκεν, οὐ κείνοις γλυκύς,
αὑτῷ δὲ τερπνός.

„Mihi acerba ejus mors est, illis non dulcis, ipsi vero jucunda."

Hac lenissima mutatione orationis concinnitas mirifice juvatur, neque puto quidquam inveniri posse, quo nexus sententiarum graviter perturbetur. In eo enim nemo jure offendere potest, quod Tecmessa, postquam per quinque versus 961—965 de detrimento Ulyssi Atridisque illato dixit, subito ad se ipsam transit; nam illa *ἐμοὶ πικρὸς τέθνηκεν* propterea tantum inseruntur, ut oppositione audientium animi attentiores reddantur ad illa *οὐ κείνοις γλυκύς, αὑτῷ δὲ τερπνός*. Particula *οὐ* vero cum vi aliqua ante *κείνοις* posita est, sicut vs. 970.

θεοῖς τέθνηκεν οὗτος, οὐ κείνοισιν, οὔ.

Qui versus quasi ad exemplar nostri videtur esse formatus.

VI.

Ajax, Vs. 1004.

ὦ δυσθέατον ὄμμα καὶ τόλμης πικρᾶς.

Haec tam plana tamque facilia videntur, ut vix intelligas, unde de recta eorum interpretatione orta sit tanta inter viros doctos discrepantia. Est autem auctor erroris Eustathius, qui p. 409, 45 (310, 42) haec exhibet: διὸ καὶ Σοφοκλῆς ἐν στίχῳ ἑνὶ οὐκ ὤκνησε διπλόην θέσθαι συντάξεως, εἰπών, ὦ δυςθέατον ὄμμα καὶ τόλμης πικρᾶς · ἔχων γὰρ φάναι, ὦ δυςθέατον ὄμμα καὶ τόλμη πικρά, ὅμως ἐξήλλαξε τὴν φράσιν, διὰ τὸ καὶ οὕτω καὶ οὕτω δύνασθαι λέγεσθαι, οἷον, ὦ δυςθέατον καὶ ὄψεως καὶ τολμήματος, καὶ πάλιν, ὦ δυςθέατος ὄψις καὶ τόλμημα. Contra hanc duram interpretationem Eustathii, qui genitivos τόλμης πικρᾶς a particula ὦ pendere vult, jam Brunckius observavit, genitivos istos etiam ab ὄμμα pendere posse idque sibi melius videri.

Postea vero Lobeckius, ut Eustathii sententiam tueretur, in editione priore haecce collegit exempla: Theocrit. XV. v. 124: ὢ ἔβενος, ὢ χρυσὸς, ὢ ἐκ λευκῶ ἐλέφαντος αἰετῶ — φέροντος. Tryphiod. v. 395:

ὤ μοι ἐμῶν ἀχέων, ὤ μοι πατρώϊον ἄστυ.

Liban. Declam. T. IV. p. 1015. ὢ κάλλους υἱέων, ὢ πλοκάμων ὥρα, ὢ προσώπου χάριτες, ὢ στέρνων φιλτάτων. Ei adstipulati sunt Hermannus, Wunderus, Schneidewinus,

Nauckius. At Erfurdtius Lobeckio recte objecit, exempla ab eo congesta omnia non *καὶ*, sed in utroque membro *ὦ* habere. Quamobrem in editione altera Lobeckius novum adscripsit exemplum; Eurip. Med. 496 sq. *φεῦ δεξιὰ χεὶρ, ἧς σὺ πόλλ' ἐλαμβάνου, καὶ τῶνδε γονάτων.*

Sed neque hoc exemplum admodum probabile videtur, nam, ut ipse concedit, ista verba Euripidea deleto post *ἐλαμβάνου* commate aliorsum verti possunt.

Omnia igitur Lobeckii exempla in nostrum locum minime quadrant neque quidquam novi demonstrant; nam particulam *ὦ* cum genitivo jungi posse, res tam cognita est, ut vel nullis exemplis allatis ab unoquoque credatur. Quapropter necesse est, ad simpliciorem Brunckii interpretationem redeamus, quae sine dubio sola verbis accommodata est, sola et grammaticae legibus et usui convenit.

Genitivi *τόλμης πικρᾶς* pro adjectivo positae sunt, velut *πικρότολμον.* Quod fieri posse vel tironi notum est *). Sed etiam in eodem substantivo adjectivum et genitivum pro adjectivo positum jungi ostendunt cum alii loci nonnulli **), tum hujus fabulae vss. 481—482:

οὐδεὶς ἐρεῖ ποθ', ὡς ὑπόβλητον λόγον,
Αἴας, ἔλεξας, ἀλλὰ τῆς σαυτοῦ φρενός.

Ubi sine ullo dubio ad v. *λόγον* pertinent et adjectivum *ὑβόβλητον* et genitivi *τῆς σαυτοῦ φρενός.*

---

*) Ejus usus sexcenta exempla invenies apud Matthiaeum Gr. gr. §. 316. Equibus depromere juvat Oed. Tyr. vs. 533 sq., ubi Oedipus in Creontem hisce invehitur:

τοσόνδ' ἔχεις
τόλμης πρόσωπον κτλ.

**) V. Krueger. Gr. gr. §. 59, 2, 2.

Contra Brunckii interpretationem Hermannus monet, per *καὶ* non, quae prorsus diversorum generum sint, sed cognata tantum jungi posse. At majorem differentiam interesse inter *δυςθέατον ὄμμα* et *ὄμμα τόλμης πικρᾶς*, quam inter *ὦ δυςθέατον ὄμμα* et *ὦ τόλμης πικρᾶς*, haud facile cuiquam persuaserit. In utrisque enim mutatur structura; in illis pro adjectivo ponitur genitivus, in his genitivus pro accusativo. Caeterum verisimile est, Sophoclem, si *τόλμης πικρᾶς* a particula *ὦ* pendere voluisset, ita scripsisse:

ὦ δυςθέατον ὄμμα, ὦ τόλμης πικρᾶς.

Quo profecto sermonis vigorem permultum auxisset. At consulto id non fecit, sed contra *τόλμης πικρᾶς* cum *ὄμμα* junxit, quia nimia Ajacis audacia atque temeritas ex tristissimo illo aspectu tam clare elucebat, ut Teucer eum quasi oculis cerneret.

VII.

Electra, Vs. 743 sq.

ἔπειτα λύων ἡνίαν ἀριστερὰν
κάμπτοντος ἵππου λανθάνει στήλην ἄκραν
παίσας.

Hunc locum, ut vulgo legitur, tolerari non posse, omnes fere uno ore contendunt interpretes. Rationem dicunt esse simplicissimam: Describi his versibus gyrum dextrum, cum tamen constet, nonnisi sinistros esse factos in certaminibus illis; non potuisse igitur Orestem sinistrorsum circumvecturum, sinistram habenam si laxaret, metam rota illidere, itaque vitium apertum in v. λύων delitescere. Addunt iidem interpretationem Scholiastae, qui ad λύων adscripsit χαυνῶν διά τὸ συμπεπλέχθαι, prorsus nullam esse, quia tum poeta gravissimam rem, scilicet fatalem illam habenarum implicationem silentio praeterire non potuisset. Plurimi igitur iique novissimi interpretes locum nostrum conjectando sanandum esse judicant. Qui fere omnes eo consentiunt, pro v. λύων aliud participium esse adhibendum, quod contrarium significet. Proposuere igitur*) Froehlichius ἔπειτα δ' ἕλκων, Arndtius ἔπειτ' ἀνέλκων, Toepferus ἔπειτα τανύων, Wolffius ἔπειτ' ἐρύκων**), Hartungus ἔπειτα τείνων, Bergkius denique ἀλεύων. Vides, quantopere locus multo-

*) Complusculas has conjecturas diligentissime collegit Jahnius ad h. l.

**) Cfr. Berl. Zeitschr. f. Gymn. VII., p. 901.

rum ingenia exercuerit. In quorum conjecturis refellendis non est quod multi simus. Toepferi emendatio jam propterea rejicienda est, quia doctrinae metricae praecepta offendit; nam, aut ego praeclare fallor, aut *ἔπειτα τανύων* in trimetro tragico dici nequit. Reliquorum conjecturae habent aliquid, quod primo quidem obtutu placet; cum autem eas paullo attentius examinaveriis, intelliges, omnes communi vitio laborare. Nam participium *λύων*, sive aliud quod pro eo ponitur, indicare debet causam, qua factum est, ut Orestes improviso metam illiserit. Qui fatalis casus ei profecto non accidisset, si artis vehendi regulas accurate observavisset. Necesse igitur est, illo participio declarari, quomodo in hanc artem peccaverit. Tale autem peccatum minime commisit, si sinistrum gyrum facturus sinistram adstrinxit habenam; immo id facere debebat. Peccavit, si nimis habenam adstrinxit. Quamobrem in omnibus istis emendationibus desidero *λίαν* sive *ἄγαν*, putavique Sophoclem ita fortasse scripsisse:

λίαν δ' ἐρύκων sive *λίαν δὲ τείνων.*

At haec propterea non placebant, quia *ἔπειτα* non bene deesse potest. Aliquantulo probabilius videbatur:

ἔπειτ' ἐπισχών.

Nam si Orestes equum circa metam flectentem ita retinuit, ut subito consisteret, facile fieri potuit, ut rota metam stringeret. Conferri posse mihi videbantur Aj. vss. 846 sq.:

Ἥλιε, πατρῴαν τὴν ἐμὴν ὅταν χθόνα
ἴδῃς, ἐπισχὼν χρυσόνωτον ἡνίαν,
ἄγγειλον ἄτας τὰς ἐμάς.

Diutius tamen mihi de hoc loco subdifficili cogitanti postremo optimum videbatur, librorum scripturam servare. Quamvis enim Scholiastae interpretatio rejicienda sit, neque

ea, quae de veterum ratione vehendi equosque curribus jungendi cognita habemus, satis dilucida sint, ut inde certi aliquid conjicere liceat, tamen vulgaris lectio quodammodo potest explicari *). Concedo hoc nostro loco de gyro dextro cogitare non posse; licet enim nonnunquam gyros dextrorsum factos esse constet, tamen ne hic talem gyrum admittamus, vetant vss. 720 sq.

κεῖνος δ' ὑπ' αὐτὴν ἐσχάτην στήλην ἔχων
ἔχριμπτ' ἀεὶ σύριγγα, δεξιόν τ' ἀνεὶς
σειραῖον ἵππον εἶργε τὸν προςκείμενον **).

---

*) Quamquam res paullo difficilior videtur, quam Meinekius putat in Analectis Sophocl. p. 261.

**) Plerique interpretes in hoc loco explicando secuti sunt sententiam Scholiastae, qui haec adnotat: *ἔχριμπτ' ἀεὶ* [*ὅ ἐστι προςεπέλαζε τῷ καμπτῆρι ἀεὶ τὴν ὀπὴν τοῦ τροχοῦ.* — *σειραῖον ἵππον*] *τὸν ἔξω τοῦ ζυγοῦ, τὸν δεξιόν· προςκείμενον δὲ τῷ καμπτῆρι ἀριστερόν.* Quae interpretatio omnino recta videtur. Nam iis, qui curribus certabant, id potissimum curandum erat, ut quam brevissimo gyro flecterent, utque axis paene columnam contingeret. Itaque Orestes dextrum gyrum facturus sinistris equis habenas adstringere debebat, dextris vero relaxare, ut eo liberius celeriusque currerent. Idem apud Homerum Nestor Antilochum filium curribus certaturum facere jubet. cf Il. Ψ, 320 sq. et 334 sq.

Nescio qua causa ductus Wolffius rejecta hac simplicissima interpretatione locum ita fere explicare conatus est: Orestes laevam rotam quam proxime admovit ad currum ejus, qui a sinistra parte vehebatur; dextro autem equo funali habenas remittens, eum qui a dextra vehebatur, impediebat. Quae quidem explicatio propterea non placet, quia omnes, qui certabant, quamvis ex *ἱππαφέσει* uno ordine procurrerent, mox alterutrum praevenire studebant et revera praeveniebant.

Deinde vero Wolffii sententiae omnino contraria sunt quae leguntur vss. 734 sq.

Deinde videtur hoc loco de quadrigis cogitandum esse*). Equus, qui in gyro sinistro proximus metae esse debebat, erat funalis (σειραῖος) sinister. Cum igitur Orestes metam sinistrorsum circumvecturus erat, debebat equi funalis sinistri habenam sinistram adstringere, donec metam prorsus circumvectus erat. Si contra sive negligentia sive casu quodam eam citius solvit, itaque quod ex vehendi artis legibus facere debebat, non fecit, facillime poterat fieri, ut equus funalis sinister in ipso gyro subito dextrorsum saliens equos jugatos impediret eosque subito dextrorsum urgeret. Sic postrema currus pars sinistrorsum verti poterat, ita ut rota metam illideret.

ἤλαυνε δ' ἔσχατος μὲν, ὑστέρας ἔχων πώλους,
Ὀρέστης.

Nam, si Orestes ultimus erat, neque a sinistra, neque a dextra ejus alius vehi poterat.

*) Hermannus, cum nihil in tota hac narratione sit, quod non possit de bigis intelligi, vss. 720 sq. autem duo tantum equi indicari videantur, σειραῖον ἵππον interpretatur „dextrum jugalem.“ Ipse tamen mirum esse censet, equo jugali tribui epitheton, quod proprie non jugalem notet. At haec difficultas ab ipso Hermanno in locum illata omnino evanescit, si de quadrigis, non vero de bigis haec omnia intelligimus. Quod quominus faciamus, vss. 720 sq., ubi neque de bigis neque de quadrigis sermo est, non impedimur. Immo temporis ratio postulat, ut de quadrigis cogitemus. Nam, ut idem Hermannus recte addit, eo tempore, quo haec fabula scripta est, nonnisi quadrigarum certamen aut in ludis Pythiis aut in Olympiis usitatum erat. In Olympiis enim bigae demum Olympiade 93. sunt introductae (Paus. V, 8, 3), in Pythiis autem Olympiade 95. (Paus. X, 7, 3). — Caeterum equos jugales praeter funales commemorare propterea supersedere potuit poeta, quia equus funalis prima causa casus infelicis erat.

VIII.

Electra, Vs. 1007—1008.

οὐ γὰρ θανεῖν ἔχθιστον, ἀλλ' ὅταν θανεῖν
χρῄζων τις εἶτα μηδὲ τοῦτ' ἔχῃ λαβεῖν.

Desperato jam omni, quod a fratre adhuc exspectaverat, auxilio, rem aggredi parat Electra maxime temerariam atque periculosam. Vult enim ipsa interfectores Agamemnonis ulcisci, et sororem sociam atque adjutricem hujus consilii sibi adjungere. Quamobrem animo illius proponit et miseriam praesentis vitae conditionis et magnam prosperi successus fortunam cum summa apud posteros fama atque gloria. Chrysothemis autem primum temerarium sororis consilium improbat, deinde quaecunque ad illam absterrendam valere possunt, profert: „Nihil," inquit, nobis profuerit, nec ulli erit adjumento, gloriosam adeptas famam indigne periisse. Haud enim mori tristissimum est, at cum mori quis cupiens, ne hoc quidem valeat assequi."

Haec verba non bene cohaerere neque dilucidam praebere sententiam unusquisque videt. Nam cum Chrysothemis dixerit, Electrae consilium ad ignominiosam ducturum esse mortem, id duobus istis versibus demonstrare non potest. Neque loci difficultas tollitur illa Vita Weinshemii interpretatione, cui Erfurdtius, Hermannus, Wunderus adstipulantur: „Non enim mori tristissimum est, sed si quis cupiens mori ne id ipsum quidem, ut moriatur, consequi potest." Nam si de carcere et lentis cruciatibus haec intelligenda sunt, sensus nimis reconditus e verbis extorquetur.

Quapropter Dindorfius, Ahrensius, Jahnius, Nauckius duos istos versus tanquam spurios damnarunt. Qui quidem rem justo faciliorem sibi fecisse mihi videntur, quia potius inquirendum erat, num in versiculis lateret vitium, quo sublato melius loco nostro convenirent.

Aliam rationem locum nostrum molestis istis versiculis liberandi excogitavit Wolffius. Censet enim eos hoc loco tollendos et post vs. 822. inserendos esse. Ejusmodi versuum translationes in codicibus Sophocleis nonnumquam factos esse, demonstrat exemplo sex illorum versuum Oed. Tyr. 246—251 a Ribbeckio post vs. 272. collocatorum *). Sed ne quid de eo dicam, tale remedium violentissimum esse neque ad id recurri posse, nisi omnibus aliis modis exhaustis, nostri versus in eum locum, quo Wolffius eos transponere vult, minime quadrant. Loquitur ibi Electra de infelici statu suo, quo inter patris interfectores vivere cogatur, lamentationemque suam pulcherrime et aptissime hisce concludit:

ὡς χάρις μέν, ἢν κτάνῃ,
λύπη δ', ἐὰν ζῶ · τοῦ βίου δ' οὐδεὶς πόθος.

---

*) Cf. Nov. Mus. Rhen. XIII, p. 129 sq. XVI, p. 489 sq. 501 sq. — Jahn. Annal. 87, p. 393. — Hac in re in universum Ribbeckio assentior; vereor tamen, ut omnes difficultates amoverit. Equidem, nisi violentius emendandi crimen timerem, hanc genuinam esse orationis illius speciem pro certo contenderem:

Vss. 216 243.
246—251.
255—268.
244—245.
252—254.
269—275.

Ita quidem sublata omni vel sententiae vel dictionis inconcinnitate, oratio restituitur si quae alia Sophocle digna.

Sed haec nunc nolo accuratius persequi.

Haec verba, quibus vehementissimum dolorem depingit, sine dubio debilitantur ac frigidiora redduntur, si iis adjicis duos nostros versus.

Quae cum ita sint, quaerendum erit, num quadam ratione hos duos versiculos tales restituere valeamus, quales hoc loco bonam praebeant sententiam.

Viam nobis monstrat Scholiasta, qui adscripsit: *λείπει τὸ καλῶς.* Quem secutus Brunckius ad *θανεῖν* subaudiendum esse putat *εὐκλεῶς*. Utrumque recte poetae sententiam intellexisse equidem censeo. Aut *εὐκλεῶς* aut *καλῶς* excidit in vs. 1008.

Itaque dubitanter quidem, sed non sine aliqua fiducia probandi, sic legendum propono:

οὐ γὰρ θανεῖν ἔχθιστον, ἀλλ' ὅταν θανεῖν
χρῄζων τις εὐκλεῶς, μηδὲ τοῦτ' ἔχῃ λαβεῖν *).

Pro *εἶτα* leni profecto mutatione scripsi *εὐκλεῶς*, quod quin per synecphonesin disyllabum legatur, quantum equidem scio, nihil obstat **). Immo ipsa haec synecphonesis sane inusitata fortasse causa fuit, ut librarius quidam *εὐκλεῶς* in *εἶτα* mutaret, praesertim cum paullo supra *δυςκλεῶς* trisyllabum legendum esset.

Quae mea emendatio si placuerit, omnia concinne procedunt: „Non prodest," inquit Chrysothemis, „nos gloriosam adeptas famam indigne ac turpiter (*δυςκλεῶς*) mori. Non enim mori tristissimum est, at cum honesta morte mori

---

*) Nisi forte malis:

οὐ γὰρ θανεῖν ἔχθιστον, ἀλλ' ὅταν θανεῖν
χρῄζων καλῶς τις, μηδὲ τοῦτ' ἔχῃ λαβεῖν.

**) Cfr. Matth. Gr. gr. §. 56.

quis cupiens, ne id quidem, scilicet ut honeste (εὐκλεῶς) moriatur, valeat assequi. Mortem ipsam timeo, id autem multo magis timeo, ne parum digne moriar." Adverbium εὐκλεῶς aptissime respondet praecedenti δυςκλεῶς coque excusatur et illustratur. Neque haec ab indole Chrysothemidis utpote modestae et timidae virginis abhorrent. Minime enim dicit, se mortem non timere; id contendit tantummodo, turpem mortem longe tristiorem rem esse.

IX.

Oedipus Coloneus, vss. 1454—1455.*)

Vulgaris hujus loci scriptura haec est:

ὁρᾷ, ὁρᾷ ταῦτ' ἀεὶ χρόνος, ἐπεὶ μὲν ἕτερα,
τὰ δὲ παρ' ἦμαρ αὔξων ἄνω.

Quamquam Hermannus Elementis p. 284 haec verba incorrupta esse censet eorumque miram structuram inde explicare studet, quod oratio tonitruum fragore exorto abrumpitur, tamen accuratius inspicienti in propatulo est, loci hujus sensum ac structuram tot laborare difficultatibus, ut omnino talis, qualis traditur, ferri nequeat. Mirum enim est, ut recte monuit Reisigius, quod interrupta illa altera planiora sunt, quam priora, quae nullo turbantur casu. Verba accurate explicari non possunt. Desideratur verbum finitum, quod pertineat ad v. ἐπεί; nam inaudita illa Doederlini ratione ex sequentibus αὔξων ἄνω suppleri prorsus nequit. Accedit, quod Scholiastae explicatio in vulgarem lectionem minime quadrat.

Quapropter merito interpretes plerique locum pro corrupto habuere et variis conjecturis sanare conati sunt. Omnes recte eo consentiunt, ἐπεὶ rejiciendum esse. Proposuerunt

*) Quae ante hos tres annos (in Berl. Zeitschr. f. Gymnas. 1862. p. 744) breviter exposui, placet hic copiosius persequi.

igitur pro ἐπεὶ Canterus ἐκεῖ, Reisigius ἑλεῖ, Dindorfius ἄγων, Hartungus στρέφων, Meinekius ἐφείς. Quae conjecturae omnes jure nemini nisi auctoribus ipsis placuere; nam in omnibus desideratur vocabulum quod v. ἄνω opponatur. Quod bene sentiens aliam viam ingressus est Schneidewinus, qui pro ἐπεὶ μὲν scribit ὄπισθεν. At hoc aeque improbabile videtur. Oppositio enim inter ὄπισθεν et ἄνω non satis liquet. Totius deinde loci ratio flagitat, ut μὲν servetur. Participium denique, quod ex sequente αὔξων subaudiri vult Schneidewinus, ex antecedente quidem participio optime suppleretur, ex sequente minus facile.

Alia igitur loco nostro medela adhibeatur necesse est. Genuinae scripturae vestigia servavit Scholiastes, qui haec habet: ἐπειδὴ ὁρᾷ ταῦθ' ὁ ἀεὶ χρόνος, ἕτερα μὲν αὔξων ἄνω, τὰ δὲ παρ' ἦμαρ αὖθις *)· ὅ ἐστιν εἰς τὸ ἔμπαλιν τρέπων τὰ ἤδη αὐξηθέντα. Quibus paene ad verbum versus videntur laudari. Sensus loci e Scholiastae sententia hic est: „Videt haec semper tempus, quod alia quidem tollit supra, alia iterum vertit in contrarium i. e. infra.“ Bene considerandus est ordo, quo his verbis duae sententiae partes collocantur; qui differt ab eo, quem vulgata lectio praebet. Libri enim illis αὔξων ἄνω secundam partem sententiae assignant, Scholiastes priorem. Procul dubio vero hic eodem ordine usus est quo poeta **). Unde, metri ratione habita, locum talem restituo:

---

*) Suspicor hic v. κάτω excidisse.

**) Eundem ordinem adhibuerunt:

Pindarus Ol. 12, 6:

πόλλ' ἄνω τὰ δ' αὖ κάτω κυλίνδοντ' ἐλπίδες

Aeschylus Eum. vs. 620:

τὰ δ' ἄλλα πάντ' ἄνω τε καὶ κάτω στρέφων.

ἱρᾷ, ὁρᾷ ταῦτ' ἀεὶ χρόνος, ἄνω μὲν ἕτερα

— — ᴗ ᴗ ᴗ —
αὔξων, τὰ σὲ παρ' ἦμαρ αὖθις κάτω

Ita omnia plana sunt. Habemus pulcherrimam oppositionem inter ἄνω et κάτω, quae cum sententiae ratione postulatur, tum ea quam nos dedimus collocatione mirifice juvatur. Ad κάτω participium quoddam, e. c. quod Scholiasta dat, τρέπων, ex priore αὔξων supplendum est, quod et ex universo Graecorum scriptornm usu facillime fieri potest, et nostro loco eo minus offensionis prae se fert, quia oratio subito abrumpitur.

Translatio illorum αὔξων ἄνω, tum iis excusatur, quae supra exposui, tum eo, quod Scholiastes illa τὰ δὲ παρ' ἦμαρ non jungit cum v. αὔξων, sed cum iis, quae explicat per εἰς τὸ ἔμπαλιν (i. e. κάτω) τρέπων.

X.

Philoctetes, Vs. 425.

Neoptolemus, in Lemno insula a Philocteta interrogatus, quomodo se habeat Nestor, haec respondet:

κεῖνός γε πράσσει νῦν κακῶς, ἐπεὶ θανὼν
Ἀντίλοχος αὐτῷ φροῦδος, ὅσπερ ἦν γόνος.

„Misera nunc quidem ille conditione est, ex quo morte ereptus ei est Antilochus, qui erat filius."

Hac librorum omnium interpretumque plurimorum lectione vix quidquam frigidius. futilius, magis inane excogitari posse additamentumque istud *ὅσπερ ἦν γόνος* mire languere non est quod demonstrem. Quamquam enim Neoptolemus putare poterat, Philoctetam omnium rerum, quae in exercitu Graecorum decem annorum spatio gestae essent, ignarum esse, tamen nomen filii viri dilectissimi ab eo nesciri vix credere potuit *).

Non magis probanda est diversa lectio, quae jam a Scholiasta prolata est. Adnotat enim ille: *οἱ μὲν γρ(άφουσι) μόνος, παρ' ἱστορίαν φασίν· εἶχε γὰρ καὶ ἄλλους· οἱ δὲ γόνος, τῷ ποιητῇ ἀκολουθοῦντες λέγουσι.* Lectio *μόνος* revera *παρ' ἱστορίαν* est. Antilochum enim non unicum fuisse Nestoris filium

---

*) Omnino idem valere senties de Sintenisii conjectura: *ὁ σπαρεὶς γόνος.*

scimus ex Homeri Odyss. *Γ*, 413 sq. *Δ*, 187, eum neque solum cum patre Trojam profectum esse ex Il. I, 81; *Π*, 317 sq.

Minime autem haec lectio ea ratione excusari potest, qua in Antig. vs. 341. Antigona se solam e regia stirpe superstitem esse dicit. Ibi enim consulto poeta Antigonam sic loqui jubet. Nam, ut jam monuit Brunckius, ea vis est magni doloris, ut qui eo obruitur, se solum respiciat, nec quidquam aliud praeter se et id, quo movetur affectus, spectet. Similem ob causam apud Euripidem (Iphig. T. vs. 867) Iphigenia gaudio et metu simul perturbata de se et Oreste fratre dicit *δυοῖν τοῖν μόνοιν Ἀτρείδαιν*, cum tamen vss. 548 et 882 Electra ut viva memoretur. Utrumque locum cum nostro nihil commune habere satis liquet.


Itaque recte judicat Wunderus, Sophoclem, qui hac in re ab Homero nullo pacto discedere potuerit, neque *ὅσπερ ἦν μόνος*, neque, quod alii conjecerunt, *ὃς παρῆν μόνος* scribere potuisse. Ejusmodi verba fuisse posita, quibus causa significaretur, ob quam acerbior esset hujus filii mors Nestori.

Quibus adstipulati, alii legi jubent *ὅςπερ ἦν γάνος* vel *ὃς παρῆν πόνοις* vel *ᾧ ἔχαιρεν μόνῳ* vel *ὃς παρῆν μόνῳ* vel *ὃς παρῆν γονεῖ* vel *ὅςπερ ἦν μέλων* vel *ὃς παρῆν, γόνος* vel *ὅςπερ ἦν μόχλος*. Violentiore emendatione versum mutans Nauckius proposuit:

ἐπεὶ γόνος
Ἀντίλοχος αὐτῷ φροῦδος οἴχεται θανών.

At ista omnia aut artificiosius excogitata videntur aut causam illam doloris parum accurate indicant. Longe verisimiliore ratione versum ita restitui existimo:

κεῖνος γε πράσσει νῦν κακῶς, ἐπεὶ γόνος
Ἀντίλοχος αὐτῷ φροῦδος, ἀντ᾽ αὐτοῦ θανών.



„Misere nunc ille agit, postq[illegible] tus est, qui pro eo diem sup[illegible]num ob[illegible]

Sententiae nihil accommodatius inveniri potest. Antilochus enim Nestori imprimis carus erat (Hom. Od. *Γ*, 111) ejusque mortem ille vehementissime doluit, quia filius patrem contra Memnonem strenue defendens pro patre mortuus erat (Hom. Od. *Δ*, 188. — Pindar. Pyth. VI, 30).


Unde autem orta sit corruptela, luculentissime apparet. Cum enim negligentia librarii cujusdam vv. *γόνος* et *θανὼν* transposita essent, ut duo versiculi sic procurrerent:

> *κεῖνος γε πράσσει κῦν κακῶς, ἐπεὶ θανὼν*
> *Ἀντίλοχος αὐτῷ φροῦδος, ἀντ᾽ αὐτοῦ γόνος* —

nasutus quidam corrector illa *ἀντ᾽ αὐτοῦ*, quae, transpositione facta, nexum prorsus perturbabant, in *ὅςπερ ἦν* mutavit.






LIBRARY OF CONGRESS
0 003 052 090 7
